



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Lignvm Vitae, Ornamentum, & Decus Ecclesiæ

In Qvinque Libros Divisvm. In quibus, Totius Sanctiss. Religionis Divi Benedicti initia; Viri Dignitate, Doctrina, Sanctitate, ac Principatu clari describuntur: & Fructus qui per eos S. R. E. accesserunt, fuissimè explicantur

Wion, Arnold

Venetiis, 1595

S. Neotus Diaconus, & Doctor, Vniuersitatis Oxoniensis fundator. c. XCIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38397

S. NEOTVS DIACONVS:

& Doctor, Vniuersitatis, Oxoniensis

fundator,

qui

Segregauit discipulos, quotidie disputans in Schola.

Act. 19.

Cap. XCIIII.



EQVITVR deinde alter, Monachi item habitu, dextra tabulam lapideam in qua magistri legentis imago, flagellum uerò sinistra tenentis, presentis Rami fructus. isque est Sanctus Neotus Diaconus, Anglus Monachus Benedictinus in Harmstoke, qui in propaganda Christi religione omne uitæ studium consumpsit; & eximiam eruditionem cum pietate coniunctam habens, sciens nihil esse hominibus ornameto, ac litteras, Alfredo Rege permittente Scholas Oxoniæ, Athenæ Anglorum nobilissimæ, omnium primus posuit, ut pueri ab ineunte statim ætate erudirentur; qua re breuit multæ mortales doctissimi euaserunt, floruitque deinde Oxoniæ Gymnasium bonarum omnium disciplinarum perpetuò; unde à quodam præteriti temporis uocatur, Sol, oculus, & anima litterarum, & sapientiæ clarissima officina, unde religio, humanitas, & doctrina in omnes regni partes uberrime distributæ sunt. Quamobrem Anglia quod postea claròs semper doctrina uiros tulerit, haud dubie nostro Neoto. ob eamque Benedicto nostro Sanctissimo Patriarchæ, cum primis acceptum referre debet, utpote, qui in ea litterarum fundamentum primus iecerit. Fuit is annus salutis 895. Principio tria constructa collegia, Grammaticis unum, alterum Philosophis, & Theologis tertium.

Hanc autem felicitatem quamuis paucis post annis una, & altera calamitas exceperit, ob Danorum incursiones, & Harald regis immanitatem, ut tristissimum studioforum exilium sub-

se-

sequutum fuerit, & Academia luctuoso spectaculo quasi inter-
morta ad Gulielmi Normannici vsque tempora iacuerit: co-
men interuallo, hanc Studiorum sedem a monachis incorrupte co-
seruatam fuisse ex sequentibus Ingulphi Abbatis verbis, qui ea
tate floruit, intelligimus: *Ego inquit, Indulphus constitutus primus
Vuestmonasterio, postmodum Oxoniensi studio traditus, cum in An-
stotele arripiendo supra multos coetaneos profecissem, &c.* Tanta au-
tem in ea eruditorum copia fuit, vt innumeri diuinis, humanisque
artibus instructissimi, cum in Ecclesiam, tum Rempubicam hinc
fuerint propagati, Mattheusque Pariensis, Vniuersitatem Oxonia-
sem secundam à Lutetia Ecclesie scholam, imo Ecclesie fundamen-
tum, disertè appellarit. Vniuersitatis enim nomine iam antea ho-
norant Pontifices Romani, quo titulo non aliam præter Parisien-
sem, & Patavinam, in suis decretis eo tempore dignati fuerunt.
Schola autem illa sic constituta, reliquum quod superuit uitæ in li-
milibus pietatis operibus ad Ecclesie laudem ducens Neothus no-
ster, doctrinæ & miraculorum laude clarus uitam finit anno ciuita-
ter Domini. 900. die ultimo Iulij, & in catalogum sanctorum, meri-
tis debitum præmium, adscriptus, in Neostoke Cornouallie oppi-
do sepultus, a quo ad Ainulphsburie locum, qui ex eius nomine,
cænobio constructo in eius honorem ab Alfrico Comite, S. Ne-
tus vocatur, translatus, ibidem digno honore reconditus est.

Mattheus Vuestm. in Florent. Hist. ad annum 866. Chorograph. Brit.
fol. 394. Polydorus lib. 5. Georgius Lilins Britannus in chron. anglo-
rum, & alij.

De quatuor Monachis, Studij Cantabrigien- fundatoribus, nullo Emblemate comprehensis.



NON minima etiam laude caret, quod Studium Can-
tabrigiense, eodem Georgio Lilio, & aliis refe-
rentibus, institutum primum noscatur anno Do-
mini 630. a Sigiberto Anglorum Orientalium Re-
ge, qui postmodum purpuram in cucullum com-
mutauit: quamuis non desint aliqui, qui multo
ante Christum annos, eam Academiam institutam dicant. Hoc